



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An acta Judicij per judicem existimatum, qui verè Judex non est, sint
valida?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO III.

*De actis Iudicij, modo
procedendi, & aliis quibusdam ob-
servandis in Iudicio, & quomodo finia-
tur Iudicium?*

§. I.

*An acta Iudicij per iudicem existi-
mam, qui verè iudex non est, sint
valida?*

Qui existit in possessione officii Iudi-
cij, quamvis ob defectum juris, aut
tituli veri verus iudex non sit, si tamen
titulum coloratum, seu putativum ha-
beat (eo quod v.g. potestatem ad actus
jurisdictionis exercendos ab eo acceperit,
qui talen potestatē dare potuit) etiā
error publicus, communis ac probabilis,
pro vero & legitimo iudice eum com-
muniter habeat, acta per illum ut Iudi-
dicem facta, valida sunt, supplente jure
omnem defectum, qui à jure positivo
suppleti potest, ob boni communis &
publici necessitatem, prout clare habetur
in L. Barbarini ff. De officio Praetor. 3. & de-
sumitur etiam ex Can. I. §. Veruntamen
Causa 2. Qua 7. Ille tamen qui titulum
coloratum non habet, sed malā fide se
intrusit, absque legitima Superioris au-
toritate, in officium Iudicis, nihil pro-
dest ad eorum, qua ut iudex egerat, va-
lorem, publicus & communis error, jure
scilicet defectum non supplente, nisi in
officii sui possessione sit iudex cum dupli-
ci illo requisito: valde tamen probabile
etiam est, quod illius etiam Iudicis acta
valida sint, qui nullum quidem colo-
ratum, aut apparentem titulum haberet,

bonā tamen fidem suam jurisdictionem
possidet, & communiter pro vero iudice
haberur, ita ut in tali casu communis
error solus sufficiat, ad supplendum ab
Eccllesia defectum legitimū tituli, uti col-
ligitur ex Cap. Constitutionibus 19. de Iure
patron. Præterim si talis, sciente saltem
illo, qui titulum legitimē conferre potest,
in sua possessione existat.

§. II.

*An acta in uno Iudicio valida,
valida etiam sint, & fidem faciant in
altero Iudicio?*

Acta coram iudice incompetente non
valent, neque fidem faciunt coram
iudice competente, ut sumitur ex Cap. Etī
Clerici 4. hoc ist. & hinc confessio coram
iudice incompetente facta, confiteni
non præjudicat, ut exinde condemnari
possit; potest tamen etiam hæc confes-
sio judicium, & præsumptionem criminis
parere, & vim habere confessionis extra
Iudicialis, si non per vim & metum tor-
mentorum extorta, sed sponte facta fue-
rit; cum indignum videatur, ut, quod
quisque suā voce confessus est, postea in-
firmet, propriōque testimonio refutat.

Quæ tamen coram iudice competente
in uno Iudicio acta fuerunt (circa merita
causa probanda, non tamen circa ordi-
nationem litis) valida etiam sunt, & pro-
bant, ac fidem faciunt coram altero Ju-
dice competente, dummodo inter eas-
dem personas, & in ordine ad eundem fi-
nem, seu effectum acta talia producantur.
argu. Cap. 2. De except. in 6. & juxta Can.
Multi 18. causa 2. Qua 1. Quia bonum
commune exigit, ut unus iudex juvet al-
terum circa causam executioni mandan-
dam;

Gg 2

dam;